



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Profeßio fidei in Academias Canisij studio inducitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Satana instigante, tum prægressis motibus excitati eorum vicinitatem refugiebant. Itaque aliquandiu ædis sanctæ Catharinæ copia facta: cum ne ibi quidem liceret quietis esse, optimus Cardinalis facellum suum in eos vsus ornauit, ac tradidit.

Inter hæc ad commune bonum Germaniæ duo Canisius Romæ curauit haud leuis momenti; primum, vt quoniam in Academiis Italiæ Germanorum multi religione corrupta Doctorum insignibus ornabantur, & armis instruebantur, vnde grauius postea in Ecclesiam sanctā gererent bellum, caueretur Pontificio diplomate, ne quos ad id genus honores extra quam quorum de religione incorrupta constaret, prouehi ius esset. Deinde, vt quoniam pro Academiis corruptela non pauci bonorum, & orthodoxorum adolescentium inter sapientiæ studia variis modis & ingenia deprauabant, & mores, emendandæ, constituendæque in Academiis disciplinæ ratio aliqua iniretur. Id posterius haud perindè impetrabile fuit. Ad prius amoliendum incommodum Diploma Pontifex edidit, quo qui Doctorum titulis cohonestandi forent, eos ex concepta formula

*Professio fidei  
in Academiis.  
Canisij studio  
inducitur.*

e

mula



*Excurrit Herbipolim.*

*Nimum sibi asser.*

*Modestia eius.*

mula iussit religionem catholicam profiteri. Ita Canisius & presentibus, & longè positis, nec suorum tantum ævo, sed & posteris consulebat. Per Augustinum Herbipolim quoque excurrit accersitur Episcopi ad Collegium festinantis. Perque eam occasionem ad populum pro concione, quod solebat publicæ utilitatis euentu, egit. Quocumque enim ferretur, non secus ac sacra illa nauis infirmitatis perferebat esurientibus populis, & gratuito diuidebat panem vitæ: adeò quidem se se, humanamque oblitus infirmitatem, vt monendum Lainio fuerit, videret vt rationabile obsequium suum faceret, afflictoque corpori ita moderaretur, vt sacrificium sale condiret. Cui vir germano candore, & antiqua simplicitate, non vt quidam superba modestia magnitudinem infitians, aut eleuans ærumnarum, sed accusationem amplians, clausula illa respondit. De moderandis meis laboribus paternam admonitionem non possum non reuerenter amplecti. Vtinam ego discretionem virtutum Matrem in re vlla tenere possim, qui neque mihi, neque aliis satisfacio sæpe. Sed spero tamē meliora intercedentibus pro sanctis Patrum precibus apud diuinam Maiestatem.

Prin